

Lacedæmonii classe victi, Græciæ imperium amiserunt, narrat *Plinius*. Hûc illa faciunt *Lucani*, l. 1.

*Ignota obscura viderunt sidera noctes
Ardentemq; polum flammis, cœlog; volantes
Obliquas per inane faces, crinemq; tremendi
Sideris, & terris mutantem Regna Cometen.*

Nolumus innumera auctorum aliorum cumulare testimonia. Hoc dicimus: per causas & effectus quoq; naturales præternaturalia sæpissimè eventa designare Numen. Testes Irides, immanes venti, aliæq; tempestates. Unius rei possunt plures esse fines, in subordinatione, non in oppositione æstimandi. Notus scripto publico t. t. vulgato vates, qui Obsidionis *Viennensis* appellavit indicem hunc globum igneum. Veruntamen cùm jam obsidione mediâ fervente fulserit, *Vulcanum* imitatus fortè fuerit, qui, quando die artificiali unico, ab oriente Sole ad occasum somniavit se præcipitem è Cœlo in Lemnum decidisse, infeliciter ἐγχεσµέτησα τὰ ὑπεράνια. Hæc hæc nus de LAMPADE VOLANTE. Nunc ad LUNAREM redeundum CRUCEM foret, & iudicium adjiciendum aliquod. Sed istud operæ ac scrutinium causarum, unde Crux prodierit, relinqvam Artificibus diviniioribus; contentus naturalem indicasse veritatem. Anno cId. Idc LX. d. 17. Decembris, primâ die post oppositionem Solis & Lunæ, horâ sextâ matut. 30 / Lunâ $1\frac{1}{2}$ altâ, tres Pseudolunas cum genuina in occidente *Gedani* conspexit Mathematicorum nostri ævi Princeps, Dn. *Hevelius*. Prætereà per ipsam genuinam Lunam observavit *Crucem albicantem seu argenteam amplissimam*; quæ ab inferiori parte ad Horizontem etiam protendebatur; à lateribus reliquis non planè attingebat circulum. *Erat autem*, ait accuratus observator, *adeò splendida & luminosa, ut ad ipsum Solis ex-*
ortum